

§. 35. Si objicias: non semper ea, quæ rarò fiunt, casu fieri, ut eclipses rarò quidem contingentes, minùs autem à casu dependentes: Respondeo; tò rarò impræsentiarum non ita accipiendum, ut tantùm neget frequentem positionem effectus quocunq; modo; quia multa rarissimè contingunt, ut solis & lunæ defectus allegati, qui tamen non dicuntur effectus fortuiti, & casuales, sed naturales & necessarii, cum habeant causas determinatas, ex quibus certò & necessariò consequuntur; sed habitâ ratione cause, à quâ procedit effectus, quæ rarò debet, non autem regulariter talem effectum producere. (g)
 Carol. Franc. D' Abra de Raconis. Unde res eò redit: figuras nostras non casu lapidibus impressas, quia non rarò nec irregulariter, sed frequenter & regulariter à Natura in hac dispositâ lapidum fissilium materiâ elaboratæ.

§. 36. Casus porrò dicitur in Naturâ locum habere, cum monstra nascuntur, quæ vocantur errores Naturæ; facit enim casus errorem in Naturâ, sicut fortuna parit errorem in homine. Qui igitur figuras casui vendicant, quid quæso aliud faciunt, quàm quod pro monstris eas venditent, non citra Naturæ naturatæ opprobrium, imò Naturæ naturantis?

§. 37. Breviter: Quæcunq; mundi ambitu cœliq; amplexu continentur, vi quædam insititiâ instructa sunt ad actum sibi peculiarem, ac suis quæque locis temporibusq; disposita, admirabili quædam vicissitudine munia sua obeunt, cursusq; perficiunt. Atque operibus Naturæ hoc præcipuum adjunctum est, ut nihil temerè vicq; fortuitâ sit effectum. Si ergò omnia; quis numero horum eximet figuras nostras inter insignia naturæ opera non postremum?

§. 38. Altera Classis, in quantum §. 6. ad spiritum universi confugit, incertum per æqvè incertum probat. Dubium enim est, an ille detur adeò quidem, ut qui patrocinantur ei, ipsi non pauca nolentes volentes afferant aut admittant, quæ existentiam ejus atq; essentiam evertunt. Hi itaq; non absimiles videntur ei esse, qui cum quæstio est de ignoto infantis patre, dicit se eum nosse, nomenq; affert Blictri, aut simile, quod ipse non intelligit.

§. 39. Idem dicendum est adversus illos in secundo ordine, §. 8. imò eò magis; quò certius est Terram non vivere, non obstantibus melancholicis (h) Keplers & Campanella imaginationibus. Reli-

C 2

(g) Phys. p. 66. (h) Sic vocat eas Fromondus Phil. Christ. de An. L. I. c. I. p. 22.